



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 59. Imperator ad S. Antonium scribit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

reticum fuisse credidit, eo firmiter impo-  
 sterum Nicænæ fidei inhæsurus. Pluri-  
 bus Arianorum tristis casus conversionis  
 occasio fuit, qui autem in errore perse-  
 verarunt, veneficio sublatum esse virum,  
 affirmabant; ita quidem de hac morte  
 diversi diversa sentiebant, omnibus ta-  
 men in eo, quod naturalis non fuisset, con-  
 sentientibus. Plurimi turmatim ad mor-  
 tis locum visendum currebant, qui exin-  
 de ab omnibus abominabilis habitus, al-  
 terque alterum monere, ut sedem fune-  
 stam vitaret. Donec tandem quidam Aria-  
 nus potens, & dives ibi domum extruxit,  
 & mutata ædificii forma facti memoriam  
 delevit.

Sæculum IV.  
 A. C. 336.

Socr. II.  
 c. 30.

§. LIX.

*Imperator ad S. Antonium scribit.*

Ex deserto erumpens S. Antonii fama us-  
 que ad aures Imperatoris pervasit,  
 qui ad eum cum duobus filiis Constantio,  
 & Constante epistolas dedit, Patrem ap-  
 pellans, & petens responsum. Antonius,  
 acceptis litteris nihil turbatus, Monachos  
 convocat, & *nolite mirari, inquit: quod*  
*Imperator ad nos scribat, nempe homo est,*  
*sed magis obstupescite, quod Deus volue-*  
*rit scribere legem hominibus, & per Filium*  
*suum nobis locutus sit;* tum has litteras  
 aperire volebat, dicens, se hominem ru-  
 dem his respondere non posse; sed cum

vita Ant.  
 c. 28.  
 Hier. Chr.  
 an. 337.

Hist. Eccles. Tom. III.

Y

Mo-

**Sæculum IV.** Monachi reponerent, Imperatores Christianos, iisque forte scandalo forte se contemptos crederent, eas legi petierunt, scripsitque responsorias, quibus multa salutaria Imperatoribus dabat; ne magni nimis res præsentis facerent, sed futurum iudicium ante oculos sibi ponerent; cogitarent IESUM Christum solum esse verum, & æternum Regem; & tandem rogabat, mites essent in subditos, iustitiam amarent, & pauperum curam gererent. Hanc Antonii epistolam Imperatores boni consulere.

*Sozom. II.*  
*c. 31.*

S. Antonius alias deinde ad Imperatorem dedit epistolas, sed minus gratas in iis S. Athanasii restitutionem petebat rogans, ne calumniis Meletianorum fides haberet. Respondit Constantinus, sed iudicium Concilii despiciere non possit (nempe Concilii Tyriensis) quamvis enim, aiebat: aliqui eorum favore, & odio movente iudicassent, Athanasium esse hominem insolentem, superbum, & seditiosum, id tamen de tanto proborum & prudentum Episcoporum numero non credendum. Quippe inter cæteras calumnias Athanasii hostes seditionis caput maxime extollebant, quod scirent Imperatorem eo plurimum moveri. Populus quoque Alexandrinus continuis clamoribus, & precationibus, publice indictis sui Episcopi reditum postulabant; Alexander

xandrinis rescripsit Imperator, eos impotentis insaniam arguens, jubetque Clericos, & Virgines acquiescere. Iterato affirmabat, se sua mandata non retractaturum, nec Athanasium seditionis reum, & iudicio Ecclesiastico damnatum, revocaturum. Inter hæc relatum est, divisam esse Ægypti Ecclesiam, his pro Athanasio, illis pro Joanne Meletiano stantibus; tum Imperator ipsum Joannem Meletianum, cum tamen auctoritate Concilii Tyriensis fuisset restitutus, in exilium expulit; id quidem dolentibus S. Athanasii inimicis factum, sed Constantinus erga illos, quos Divisionis inter Christianos auctores credebat, animo erat inexorabili.

Sæculum IV.  
A. C. 336.

Rescriptum exstat Judæis conversis fovens, datum hoc anno 336. Nepotiano, & Facundo Consulibus, quo Imperator prohibet, ne Judæi fidei suæ domesticos ad Christiana Sacra transeuntes quocunque demum modo vexare, aut iis nocere audeant, alias severissime pro injuriæ irrogatæ gravitate puniendi. Simul mancipia seu Christianorum, seu cujuscunque alterius sectæ a Judæis coempta, circumcidi vetat, pœnam injungens, ut, si id factum fuerit, Judæus jure Domini in servum privetur, qui ipso facto libertate donatus sit.

Lib. 5. Cod.  
Theod. de  
Jud.

Lib. I. Cod.  
Theod. ne  
Christi.  
man.